

dicitur, mentiendi utique non est locus. Fidelis igitur dispensator Apostolus Paulus proculdubio nobis exhibet in scribendo fidem: quia veritatis dispensator erat, non falsitatis. Ac per hoc verum scripsit, vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii, eique in faciem restitisse, quòd gentes cogeret Judaizare. Ipse verò Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctæ ac benignæ pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, si tibi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi; quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda evangelica veritate, salva fraterna caritate resistere. Nam cum satius sit, à tenendo itinere in nullo, quàm in aliquo, declinare; **MULTO EST** tamen mirabilius & laudabilius, libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem. Est laus itaque justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro: quæ, quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat adversus calumniantem Porphyrium defendenda, quàm ut ei daretur obtrectandi major occasio; qua multò mordaciùs criminaretur christianos fallaciter vel suas litteras scribere, vel Dei sui sacramenta portare.

CAP. III.

23. **FLAGITAS** à me, ut aliquem saltem unum ostendam, cujus in hac re sententiam sim sequutus; cum tu tam plures nominatim commemoraveris, qui te in eo, quod adstruis, præcesserunt: petens ut in eo, si te reprehendo errantem, patiar te errare cum talibus. Quorum ego fateor neminem legi: sed cum sint fermè sex, vel septem, horum quatuor

tuor auctoritatem tu quoque infringis. Nam Laodicenum, cujus nomen taces, de ecclesia dicis nuper egressum; Alexandrum autem veterem hæreticum; Origenem verò ac Didymum, reprehensos abs te lego in recentioribus opusculis tuis, & non mdiocriter, nec de mdiocribus quæstionibus, quamvis Origenem mirabiliter antè laudaveris. Cum iis ergo errare, puto, quia nec te ipse patieris; quamvis hoc perinde dicatur, ac si in hac sententia non erraverint. Nam quis est, qui se velit cum quolibet errare? Tres igitur restant, Eusebius emisenus, Theodorus heracleotes, & quem paulò post commemoras, Joannes qui dudum in pontificali gradu constantinopolitanam rexit ecclesiam.

24. Porro si quæras vel recolas quid hinc senserit noster Ambrosius, quid noster itidem Cyprianus; invenies fortasse, nec nobis de fuisse, quos in eo, quod asserimus, sequeremur. Quamquam, sicut paulò antè dixi, **TANTUMMODO** Scripturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem, qua eas solas ita sequar, ut conscriptores earum nihil in eis omninò errasse, nihil fallaciter posuisse non dubitem. Proinde, cum quæro tertium, ut tres etiam ego tribus opponam, possem quidem, ut arbitror, faciliè reperire, si multa legissem: verumtamen ipse mihi pro his omnibus, imò supra hos omnes Apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio: ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt, litterarum ejus tractatoribus provoco: ipsum interrogans interpello & requiro in eo, quod scripsit ad Galatas, vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii, eique in faciem propterea restitisse, quòd

*Ambros. vel quis est auctor commentar. in epist. ad Galat Cyprian. in epist. 71. ad Quintum.*

*Gal. 2. 14. Beda vulgatus ibid.*

Gal. I. 20. illa simulatione gentes judaizare cogebat: utrum verum scripserit, an fortè nescio qua dispensativa falsitate mentitus sit. Et audio eum paulò superius in ejusdem narrationis exordio religiosa voce mihi clamantem: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior.*

25. Dent veniam quilibet aliud opinantes; ego magis credo tanto Apostolo in suis, & pro suis litteris juranti, quàm cuiquam doctissimo de alienis litteris disputanti. Nec dici timeo, me sic Paulum defendere, quòd non simularit errorem judæorum, sed verè fuerit in errore. Quoniam neque simulabat errorem, qui libertate apostolica, sicut illi tempori congruebat, vetera illa sacramenta, ubi opus erat, agendo, commendabat ea, non satanæ versutia decipiendis hominibus, sed Dei providentia prænuntiandis rebus futuris propheticè constituta: nec verè fuerat in errore judæorum, qui non solùm noverat, sed etiam instanter & acriter prædicabat eos errare, qui putabant gentibus imponenda, vel justificationi quorumcumque fidelium necessaria.

26. Quòd autem dixi eum factum judæis tamquam judæum, & tamquam gentilem gentilibus, non mentientis astu, sed compatientis affectu, quemadmodum dixerim parum mihi visus es adtendisse; imò ego fortasse non satis hoc explanare potuerim. Neque enim hoc ideo dixi, quòd misericorditer illa simulaverit; sed quia sic non ea simulavit, quæ faciebat similia judæis, quemadmodum nec illa quæ faciebat similia gentibus, quæ tu quoque commemorasti; atque in eo me, quod non ingrati fateor, adjuvisti. Cùm enim abs te quæsissem in epistola mea, quomodo pu-

te-

tetur ideo factus judæis tamquam judæus, quia fallaciter suscepit sacramenta judæorum, cùm & gentibus tamquam gentilis factus sit, nec tamen suscepit fallaciter sacrificia gentium: tu respondisti, in eo factum gentibus tamquam gentilem, quòd præputium receperit; quòd indifferenter permiserit vesci cibus, quos damnant judæi. Ubi ego quæro utrum & hoc simulatè fecerit: quod si absurdissimum atque falsissimum est; sic ergo & illa, in quibus judæorum consuetudini congruebat libertate prudenti, non necessitate servili, aut quod est indignius, dispensatione fallaci potius quàm fideli.

27. Fidelibus enim, & iis, qui cognoverunt veritatem, sicut ipse testatur (nisi fortè & hic fallit) *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione accipitur.* Ergo & ipsi Paulo non solùm a viro, verùm etiam dispensatori maximè fideli, non solùm cognitori, verùm etiam doctori veritatis, omnis utique in cibus creatura Dei non simulatè, sed verè bona erat. Cur igitur nihil simulatè suscipiendo sacrorum, cerimoniarumque gentilium, sed de cibus & præputio verum sentiendo ac docendo, tamen tamquam gentilis factus est gentibus, & non potuit fieri tamquam judæus judæis, nisi fallaciter suscipiendo sacramenta judæorum? Cur oleastro inserto servavit dispensationis veracem fidem; & naturalibus ramis non extra, sed in arbore constitutis, nescio quòd dispensatoriæ simulationis velamen obtendit? Cur factus tamquam gentilis gen-

ti-

a Lov. vero. At aliæ editiones & MSS. sedecim, viro.

tibus, quod sentit docet, quod <sup>a</sup> ait sentit; <sup>a</sup> factus autem tamquam judæus judæis, aliud in pectore claudit, aliud promit in verbis, in factis, in scriptis? Sed absit hoc sapere. Utrisque enim debebat caritatem de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Ac per hoc omnibus omnia factus est, ut omnes lucrificeret, non mentientis astu, sed compatientis affectu: id est, non omnia mala hominum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tamquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurando.

28. Cùm itaque illa testamenti veteris sacramenta, etiam sibi agenda minimè recusabat, non misericorditer fallebat, sed omninò non fallens, atque hoc modo à Domino Deo illa usque ad certi temporis dispensationem jussa esse commendans, à sacrilegis sacris gentium distinguebat. Tunc autem, non mentientis astu, sed compatientis affectu, judæis tamquam judæus fiebat, quando eos ab illo errore, quo vel in Christum credere nolebant, vel per vetera <sup>b</sup> sacerdotia sua ceremoniarumque observationes, se à peccatis posse mundari, fierique salvos existimabant, sic liberare cupiebat, tamquam ipse illo errore teneretur: diligens utique proximum tamquam seipsum, & hæc aliis faciens, quæ sibi ab aliis fieri vellet, si hoc illi opus esset: quod cum Dominus monuisset, adjunxit: *Hæc est enim lex & Propheta.*

29. Hunc compatientis affectum, in eadem

<sup>a</sup> In quatuordecim MSS. quod agit sentit.

<sup>b</sup> MSS. duo, per vetera sacrificia sua.

dem epistola ad Galatas præcipit, dicens: *Si <sup>Mat. 22.</sup> præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; <sup>40.</sup> vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum, ne & tu tenteris.* Vide si non dixit: <sup>a</sup> Fiere tamquam ille, ut illum lucrificias. Non utique ut ipsum delictum fallaciter ageret, aut se id habere simularet; sed ut in alterius delicto, quid etiam sibi accidere posset adtenderet, atque ita alteri, tamquam sibi ab altero vellet, misericorditer subveniret: hoc est, non mentientis astu, sed compatientis affectu. Sic judæo, sic gentili, sic cuilibet homini Paulus in errore, vel peccato aliquo constituto, non simulando, quod non erat, sed compatiendo, quia esse potuisset, tamquam qui se hominem cogitaret, omnibus omnia factus est, ut omnes lucrificeret.

30. TEIPSUM, si placet, obsecro te, paulisper intuere; teipsum, inquam, erga memetipsum; & recale, vel, si habes conscripta, relege verba tua in illa epistola, quam mihi per fratrem nostrum jam collegam meum Cyprianum, brevioris misisti: quam veraci, quam germano, quam pleno caritatis affectu, cùm quædam me in te commisisse exposulasses graviter, subjunxisti: "In hoc læditur amicitia, in hoc necessitudinis jura violantur, ne videamur certare pueriliter, & fautoribus invicem, vel detractoribus nostris tribuere materiam contendendi." Hæc abs te verba non solum ex animo dicta sentio,

CAP. IV.

<sup>a</sup> Editi, Fieri: unus è Vaticanis MSS. Fias: alii plures Fiere: quod modo imperativo sic usurpat Augustinus in aliis locis apud MSS.

tio, verum etiam benigno animo ad consulendum mihi. Denique addis, quod etiam si non adderes, appareret, & dicitis: "Hæc scribo, quia purè & christianè diligere te cupio, nec quidquam in mea mente retinere, quod distet à labiis." O vir sancte, mihi que, ut Deus videt animam meam, veraci corde dilecte, hoc ipsum, quod posuisti in litteris tuis, quod te mihi exhibuisse non dubito, hoc ipsum omninò Apostolum Paulum credo exhibuisse in litteris suis, non unicuilibet homini, sed judæis, & græcis, & omnibus gentibus filiis suis, quos in Evangelio genuerat & quos pariendos parturiebat: & deinde posterorum tot millibus fidelium christianorum, propter quos illa memoriæ mandabatur epistola, ut nihil in sua mente retineret, quod distaret à labiis.

31. Certè factus est etiam tu, tamquam ego, non mentientis astu, sed patientis affectu, cum cogitares tam me non relinquendum in ea culpa, in quam me prolapsus existimasti, quam nec te velles, si eo modo prolapsus esses. Unde agens gratias benevolæ menti erga me tuæ, simul posco, ut etiam mihi non succenseas, quod cum in opusculis tuis aliqua me moverent, motum meum intimavi tibi: hoc erga me ab omnibus servari volens, quod erga te ipse servavi, ut quidquid improbandum putant in scriptis meis, nec laudent subdolo pectore, nec ita reprehendant apud alios, ut taceant apud me; hinc potius existimans lædi amicitiam &

ne-

<sup>a</sup> MSS. quatuordecim, nec claudant subdolo pectore: fortean voluit alludere ad ea Hieronymi verba, nec quidquam in mea mente retinere &c.

necessitudinis jura violari. Nescio enim, utrum christianæ amicitia putanda sint, in quibus magis valet vulgare proverbium: *Obsequium amicos, veritas odium parit*, quam ecclesiasticum: *Fideliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici*.

32. Proinde carissimos nostros, qui nostris laboribus sincerissimè favent, hoc potius quanta possumus instantia doceamus, quo sciant fieri posse, ut inter carissimos aliquid alterutro sermone contradicatur, nec tamen caritas ipsa minuatur, nec veritas odium pariat, quæ debetur amicitia; sive illud verum sit, quod contradicatur, sive corde veraci quaecumque sit dicitur, non retinendo in mente, quod distet à labiis. Credant itaque fratres nostri, familiares tui, quibus testimonium perhibes, quod sint vasa Christi, me invito factum, nec mediocrem de hac re dolorem inesse cordi meo, quod litteræ meæ prius in multorum manus venerunt, quam ad te, ad quem scriptæ sunt, pervenire potuerunt. Quo autem modo id acciderit, & longum est narrare, & nisi fallor, superfluum: cum sufficiat, si quid mihi in hoc creditur, non eo factum animo quo putatur; nec omninò meæ fuisse voluntatis, aut dispositionis, aut consensionis, aut saltem cogitationis, ut fieret. Hoc si non credunt, quod teste Deo loquor, quid amplius faciam non habeo. Ego tamen absit ut eos credam hæc tuæ sanctitati malevola mente suggerere ad excitandas inter nos inimicitias, quas misericordia Domini Dei nostri avertat à nobis; sed, sine ullo nocendi animo, facile de homine humana vitia suspicari. Hoc enim me de illis æquum est credere, si vasa sunt Chris-

Terentius  
in Andr.  
Actu I. Sce  
na I.  
Prov. 27.  
6.

ti,

ti, non in contumeliam, sed in honorem facta, & disposita in domo magna à Deo, in opus bonum. Quod si post hanc adestationem meam, si in notitiam eorum venerit, facere voluerint; quàm non rectè faciant, & tu vides.

33. Quod sanè scripseram, nullum me librum adversus te Romam misisse, ideo scripseram, quia & libri nomen ab illa epistola discernebam, unde omninò nescio quid aliud te audisse existimaveram; & Romam nec ipsam epistolam, sed tibi miseram; & adversus te non esse arbitrabar, quod sinceritate amicitiae sive ad admonendum, sive ad te vel me abs te corrigendum fecisse me noveram. Exceptis autem familiaribus tuis, teipsum obsecro per gratiam, qua redempti sumus, ut quaecumque tua bona, quae tibi bonitate Domini concessa sunt, in litteris meis posui, non me existimes insidioso blandiloquio posuisse. Si quid autem in te peccavi, dimittas mihi. Nec illud quod de nescio cuius poetae factò ineptiùs fortasse quàm litteratiùs à me commemoratum est, ampliùs quàm dixi, ad te trahas: cum continuò subjecerim non hoc ideo me dixisse, ut oculos cordis reciperes, quos absit umquam ut amiseris; sed ut adverteres quos sanos ac vigiles haberes. Propter solam ergo <sup>a</sup> *καλινοδίαν*, si aliquid scripserimus, quod scripto posteriore destruere debeamus, imitandam, non propter Stesichori

ca-

<sup>a</sup> Den'que Hieronymus accessisse videtur ad Augustini sententiam in lib. 1. adversus pelagianos c. 8. ubi inter episcopos irreprehensibilem aut nullum aut rarum esse dicit: quippe cum vel ipse Petrus juxta Apostolum Paulum reprehensibilis fuerit. *Quis indignabitur, inquit, id sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit?*

cacitatem, quam cordi tuo nec tribui, nec timui, adtingendum illud existimavi: atque identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quamquam enim secundùm honorum vocabula, quae jam Ecclesiae usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est: licet etiam à minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio.

34. DE interpretatione tua jam mihi per- CAPUT V.  
suasisi, qua utilitate Scripturas volueris transferre de hebraeis; ut scilicet ea, quae à judaeis praetermissa, vel corrupta sunt, proferres in medium. Sed insinuare digneris, peto, à quibus judaeis, utrùm ab eis ipsis, qui ante adventum Domini interpretati sunt (& si ita est, quibus, vel quonam eorum) an ab istis posterioribus, qui propterea putari possunt, aliqua de codicibus graecis vel subtraxisse, vel in eis corrupisse, ne illis testimonii de christiana fide convincerentur? Illi autem anteriores, cur hoc facere voluerint, non invenio. Deinde nobis mittas, obsecro, interpretationem tuam de Septuaginta; quam te edidisse nesciebam. Librum quoque tuum, cujus mentionem fecisti, *De optimo genere interpretandi*, cupio legere; & adhuc nosse, quomodo coequanda sit in interprete peritia linguarum, conjecturis eorum, qui Scripturas edisserendo pertractant: quos necesse est, etiamsi rectae atque unius fidei fuerint, varias parere in multorum locorum obscuritate sententias; quamvis nequaquam ipsa varietas ab ejusdem fidei unitate discordet; sicut etiam unus tractator, secundùm eandem fidem aliter atque aliter eundem locum po-  
test

test exponere, quia hoc ejus obscuritas patitur.

35. Ideo autem desidero interpretationem tuam de Septuaginta, ut & tanta latinorum interpretum, qui qualescumque hoc ausi sunt, quantum possumus, imperitia careamus: & hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex hebræo interpretationem in ecclesiis legi, ne contra Septuaginta auctoritatem, tamquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures & corda illam interpretationem audire consueverunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est. Unde & illud apud Jonam virgultum, si in hebræo nec hedera est, nec cucurbita, sed nescio quid aliud, quod trunco suo nixum, nullis sustentandum administris erigatur; mallem jam in omnibus latinis cucurbitam legi. Non enim frustra hoc puto Septuaginta posuisse, nisi quia & huic simile sciebant.

*Jonæ 4.6.*

*\*Epist. 72.  
75. & 81.*

36. Satis me, imò fortasse plus quam satis, tribus \*epistolis tuis respondisse arbitrator; quarum duas per Cyprianum accepi, unam per Firmum. Rescribe quod visum fuerit ad nos vel alios instruendos. Dabo autem operam diligentiorum, quantum me adjuvat Dominus, ut litteræ, quas ad te scribo, prius ad te perveniant, quam ad quemquam, à quo latius dispergantur. Fateor enim, nec mihi hoc fieri velle de tuis ad me, quod de meis ad te factum justissimè expostulas. Tamen placeat nobis invicem non tantum caritas, verum etiam libertas amicitiae; ne apud me taceas, vel ego apud te, quod in

nos-

nostris litteris vicissim nos movet: eo scilicet animo, qui oculis Dei in fraterna dilectione non displicet. Quòd si inter nos fieri posse sine ipsius dilectionis perniciose offensione non putas; non fiat. Illa enim caritas, quam tecum habere vellem, profectò major est: sed meliùs hæc minor quam nulla est.



## DE DUABUS EPISTOLIS

PROXIME SEQUENTIBUS.

## LIBRI II. RETRACT.

### CAPUT XX.

**LIBRI** duo, quorum est titulus: *Ad inquisitiones Januarii*, multa de sacramentis continent disputata, sive quæ universaliter, sive quæ partiliter, id est, non peræquè in omnibus locis observat Ecclesia; nec tamen commemorari omnia potuerunt, sed satis ad inquisita responsum est: quorum librorum prior, epistola est, habet quippe in capite quis ad quem scribat; sed ideo inter libros annumeratur hoc opus, quoniam sequens qui nomina nostra non habet, multò est prolixior, & in eo multò plura tractantur. In primo igitur quod de manna dixi: *Quia unicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat*; non mihi occurrit unde possit probari, nisi ex libro Sapientiae, quem judæi non recipiunt in auctoritatem canonici. *Cap. 3.*

TOM. V.

Z

*Sap. 16.  
20.*  
cam;

cam; quod tamen fidelibus potuit provenire, non illis adversus Deum murmuratoribus, qui profectò alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet manna quod vellent. Hoc opus sic incipit: *Ad ea quæ me interrogasti.*



## AD INQUISITIONES JANUARI

LIBER PRIMUS. seu

## EPISTOLA LIV. \*

\* *Aliàs CXVIII. quæ autem 54. erat, nunc 153.*

*Augustinus Januario respondet, docens quid agendum sit in iis, in quibus regionum aut ecclesiarum consuetudines variant, & in quibus consentiunt; puta de sacramentis, festis diebus, jejuniis, & Eucharistia.*

<sup>a</sup> Dilectissimo filio <sup>a</sup> JANUARIO AUGUSTINUS in Domino salutem.

I. AD ea quæ me interrogasti, malle prius nosse quid interrogatus ipse <sup>b</sup> responderes: ita enim vel approbando vel emendando responsiones tuas multò brevius possem respondere, & te facillimè aut confirmare, aut corrigere. Hoc quidem, ut dixi, malle. Sed tamen ut nunc responderem, malui longiorem facere sermonem, quàm di-

<sup>a</sup> In MS. Floriacensi inscribitur, *ad Januarium Notarium*: cui suffragatur unus è Sorbonicis.

<sup>b</sup> Aliquot MSS. *responderis* & paulò post, *confirmarem aut corrigerem.*

lationem. Primò itaque tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse & sarcinæ levi: unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur, exceptis iis quæ servitute populi veteris pro congruentia cordis illorum & prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri; sicuti quòd Domini passio, & resurrectio, & adscensio in cælum, & adventus de cælo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & siquid aliud tale occurrit quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia.

2. ALIA verò quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quòd alii jejunant sabbato, alii non; alii quotidie communicant corpori & sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum & dominico, alibi tantum dominico; & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam ad quam fortè de-

*Matt. 11. 30.*

*Sacramenta.*

*Dist. 12. Illa.*

*Traditiones & Concilia.*

CAPUT II.